Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-540841-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-540841-p0002-8

28 2280.

DISPUTATIO LEGALIS, DE JURE FINIUM,

Qvam

DIVINA ASPIRANTE GRATIA,
Auctoritate & Decreto Magnifici & Amplisſimi
JCtorum Ordinis in alma Academia
Gryphiswaldenſi,

Sub Moderamine,

VIRI
Nobiliſſimi, Amplisſimi ac Conſultiſſimi
DOMINI
FRIDERICI GERDESII,
J. U. D. & Anteceſſoris Celeberrimi, Conſiſtorii
Eccleſiaſtici Directoris graviſſimi, Facultatis Juridicæ
Senioris, Fautoris, Præceptoris ac Hoſpitis
ſummô ſemper honoris cultu
proſeqvendi,
Ad d. 30. Martii A. E. C. M DC LXXXIII.
Publicæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittit
CASPAR DETTLOFF von Rotermundt/
Eqv. Rug.

GRYPHISWALDIÆ,
Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
Reg. Acad. Typographi.

AUGUSTISSIMO
REGI ET DOMINO
DN. CAROLO XI.
SVECORUM, GOTHORUM ET VANDALORUM REGI POTENTISSIMO, MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ, DUCI SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIÆ ET VANDALIÆ, PRINCIPI RUGIÆ, DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ, UT ET COMITI PALATINO AD RHENUM, BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM DUCI, ETC. ETC. ETC.

REGI ET DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO,

HOC HUMILLIMÆ PIETATIS MONUMENTUM
CONSECRAT

ET

AD SACRÆ EJUS MAJESTATIS PEDES
DEPONIT

SUBJECTISSIMUS SERVUS

CASPAR DETTLOFF von Rotermundt/
EQV. RUG.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-540841-p0004-9

FINIBUS indicis bellum, qvod idem Tibi FINES:
Hi tacitè pugnant; Tu benè apertus agis.
Vincuntur FINES: Tu Victor es ORE ROTUNDO:
Est Tibi sic RUBEUS proprius ORIS honor.

Disputationis DN. *Auctori, Amico suo longè aestimatissimo, pauca haec, ore utut infacundô, seriô tamen affectu accinere rogatus voluit*

M. Graß.

DEs verborgnen Hertzens Grund wird offt durch den Mund entdecket /
Denn der zeiget vielmahls an / was im treuen Hertzen stecket.
Dein Hertz / wehrter **Rotermund** / zeiget jetzund in der That
Was bisher dein treuer Fleiß hier bey uns verrichtet hat.

Ad Generosum Dn. Respondentem, Commensalem atqve Amicum suum svavissimum, prolixô adfectu scrib.

GUSTAVUS L. B. de Mardefeldt.

Wer

WEr recht der Tugend Pfad und ihre Grentzen kennet/
Wird billig jederzeit ein Tugend-Sohn genennet;
Denn/ wer wie Hercules, die Tugend Ihm erwehlt/
Hat einen grossen Schatz/ für andern Ihm gezehlt.
Dieß läst/ Herr **Rotermund**/ sein Tugend-Sinn uns sehen/
Er läst der Gräntzen-Recht/ da Er von uns wil gehen/
Uns zum Gedächtniß hier. Er zieh und komm zurück
Zu seinen Grentzen auch mit selbsterwünschtem Glück.

Exiguum hocce,
Convictûs & Officii
MONUMENTUM
Generoso atq; Nobilissimo
DN. RESPONDENTI,
Gryphicis jamjam valedicturo Musis,
amicâ erexit manu

H. J. **Gerdessen**/ *Gryphisvv. Pom.*

FInibus impendis dum tempus, AMICE, *regundis*,
Grata est Astrææ res ea, crede, Deæ.
Addo, qvòd & REGI GOTHICO labor iste probetur,
Et qvòd sit dignus Nobilitate TUA.
Talibus his porrò faveat DEUS ausibus, oro,
Plura ut doctrinæ des documenta TUÆ.

Generos. Dn. AUCTORI, AMICO longè suavis. amorem sincerum testaturus, senarium hunc versuum fac.

JACOBUS FRIDERICUS de **Köppern**/
Eqv. Pom.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-540841-p0006-0

I. N. J. C.

NOn ſolum inter privatos homines de agrorum terminis, ſed & inter Rerum publicarum Moderatores ſæpè graviſſimæ oriri ſolent controverſiæ de Finibus Imperij, qvas non tam amicabili compoſitione, qvam bello decidunt: veluti refert Diodorus Siculus lib. 11. c. 52. *qvod inter Japiges & Tarentinos in Italia controverſia de Finibus eo pervenerit, ut Japigæ ad viginti hominum usq; millia collegerint exercitum, & inſtructa acie adverſus Tarentinos & Rhegios depugnaverint; Similiter, inter Corinthios & Megarenſes privata de finibus contentio bellum genuit. Id.* lib. 11. c. 79. *& inter Egeſtios & Selinuntios. Id.* lib. 12. c. 72. *Sed qvid circa vetera moror? dum præſentes iſtæ controverſiæ, qvæ inter Imperium Romano-Germanicum, ejusq; Confœderatos, & inter Regem Galliæ acerrimè diſputantur, qvæq; brevem iſtam qvietem, qvam Europeo orbi nuperæ pax Neomagenſis, utinam tam fida qvam exoptata, conciliavit, non turbare ſolum, ſed & abrumpere hactenus minantur, nil aliud in ſe continent, qvam lites & contentiones de finibus & dependentiis, qvorum prætextu parum abeſt, qvin univerſi mundi dominium ambiatur atq; anbeletur; à qvà tamen infinità dominandi libidine Chriſtianus qvilibet & juſtus Princeps abſtinere debet, ne in eum jure dicatur illud Oldendorpij* Claſſ. 3. Act. 14. Avaritia hominum, radix omnium malorum, facit, ut nemo non ſummis viribus conetur fines dominii ſui qvoqvo verſus extendere. Id enim facit cœcitas humanæ carnis, qvæ non videt cœleſtia, parum curat charitatem proximi: nihil qværit, niſi ſua: contrectat, graſſatur, rapit, & qvid non facit? *Ut igitur qvisq; ſuis contentus ſit finibus, nec attingat alienos, optima ratione huic furioſæ libidini inſignia jura à nonnullis gentibus ſunt conſtituta, qvæ per hanc diſſertationem aliqvo modo adumbraturus ſum; Adſit mihi ſua gratia Altiſſimus.*

Caput I.

De Finium Nomine, Definitione ac Divisione.

Thes. 1.

FInis vulgò denotat id, in qvo unaqvæq; res terminatur. Germ. Das Ende. Unde Lucret. Vitæ finis certa mortalib. astat. Apud Philosophos, Finis est id, propter qvod aliqvid agimus, qvia, qvod primum est in Intentione, idem in executione ultimum est. JCti finem aliqvando sumunt pro Definitione. *l. 224. ff. de V. S.* Sæpè, pro modo & qvantitate, ut in *l. 19. ff. de Compens. l. 4. §. 1. ff. d. naut. fœn.* adde Alex. ab Alex *Gen. dierum lib. 2. c. 20.* ubi de finibus itineris, actus, viæ, pedis, cubiti &c. Freqventius, fines in plurali (apud Ciceronem. Liv. Tacit. & Solin. etiam in singulari invenitur) pro limitibus ac terminis agrorum, regionum & imperii promiscuè ponuntur. *l. 12. ff. fin. reg. l. 1. C. eod.* qvi tamen propriè à finibus differunt, tanqvam à signato signum. *l. 12. ff. d. term. mot. l. 7. §. fin. ff. d. peric. & commod. rei vend.* Ideò ab Hieron. de Monte *in tract. d. fin. reg. c. 107. n. 4.* termini terminantes: ipsi fines verò termini terminati appellantur: An limes & limen idem sint vel non sint, parum est cum Theophilo, Gyphanio & Grotio inqvirere, cum sufficiat jure communi utrumqve importare finem domus & imperii publici arg. *l. 19. §. 3. ff. d. Captiv.* alias Confinium & Collimitium vocatur. Germanicè, Fines dicuntur. (1) Grentzen/ vom Krantze/ qvia qvasi Corona cingunt agrum. Oeting. *de jur. Limit. lib. 1. c. 2. n. 1.*

qvam

qvam denominationis rationem usus qvotidianus aperte verificat, etiam in finibus privatorum. Ideòq; verbum Grentzen in vero suo sensu perinde iis rectè qvadrat, ac Regnorum & Principatuum limitibus, nec ullo modo cum Gylman. *tom. 2. Symph. p. 1. fol. 123. n. 28.* censendum, qvod si de finibus & juribus inde dependentibus contentio sit, non inter privatos, sed ipsos Dominos res agatur. (2) Scheide à Scheiden. (3) Mahl. (4) Marck à Märcken / sive qvod ipsa signa soleant insculptos aut incisos habere characteres. Indeq; & fines dicuntur die Reichs-Märcken non tam Latino, vel Germanico, qvam feudali, seu longobardico aut Gothico nomine, & qvi eos contra alios custodiebant, ab his Marchis dicti sunt Marchiones, qvasi Observatores & Defensores eorum: Sic Misnia ab Henrico Imper. Anno 931. contra Vandalos & Bohemos, Brandeburgum contra Henetos, Landesbergum contra Sarabos, Lusatiam contra Polonos, Sleswigam contra Danos, Styriam & Austriam contra Ungaros, Marchias factas refert Lim. *in jur. publ. lib. 4. c. 4. n. 25.* Cum autem fines apud Germanos plerumq; lapidibus designentur, ideò generali Vocabulo Marck-Steine / & terminatum Marck-Scheidung / & integri districtus limitati, Feld-Marckung dicuntur Wchn. *in Obs. pract. in verb.* Grentz. (5) Ipsi qvoqve fines, Germanicè Reine ut Anreinung / idem sunt, qvod Confinium. Recess. Imp. Anno 1576. § Ferners haben wir. Ibi. Die anreinende Lande. Propriè tamen sunt signa finium & vocantur Reinungen in der P. H. O. *art. 114.* Atq; cò pertinet qvod habet Glossa im Sächsischen Land-Recht; Wann man Mahl-Bäume oder Marck-Steine setzet / das heisset gereinet. Unde &

Notariorum formula⸗; Wie es in ſeinen vier Pfälen und Rainen gelegen.

Th. 2. Notanter adfert Wehn. in verb. Landwehr/ qvod ferè pro uno & eodem promiſcuè uſurpentur vocabula Landwehr / Land-Graben / Land-Steine / Land-Grentzen / Bezirck / Grentz / Gebiet / Zaun und Boden/ & in effectu nihil aliud ſint, & ſignificent apud JCtos, qvam territorium vel diſtrictum, ſeu ſpatium terræ jurisdictione munitum⸗. Nec ſtare poteſt realis diſtinctio inter Landwehr und Land-Graben / cum tamen nominetenus diſtincta eſſe putet Meichſ. *tom. 3. Deciſ. 33. n. 74.*

Th. 3. Generaliter fines nihil aliud ſunt, qvam agrorum & territoriorum extremitates, qvibus ab aliis locis contiguis diſcernuntur. Vel, ſunt ſpatium terræ, qvod interjectum eſt inter agros vicinos, ubi ſe invicem attingunt⸗. Vel ſecundum jus Romanum, ſunt ſpatium qvinq; pedum extremorum in agrum⸗ (ſc. vicini verſorum,) à termino fundos contiguos ſeparante, ſive ab extrema linea, qva ſe agri confines contingunt : Coll. Jur. Argent. *in tit. de fin. reg. th. 21.* Hoc agrorum ſpatium ex lege 12. tabularum purum à cultura relinqvi debebat, ut illac iri ſine incommodo agri colendi cauſa, & aratrum circumduci poſſet⸗: *l. 5. Ubi Gotofred. C. fin. reg.* Paul. *lib. ſent. tit. 15.* Tantum autem ſpatii in diſterminandis hortis aut pratis olim non erat relictum, ſed aut lapide, aut ſepimento, aut arboribus, aut alio modo confinia diſcernebantur, ut patet ex *l. 2. & fin. ff. fin. reg.*

Th. 4. Duo finium ſeu Terminorum Genera in⸗ rebus naturalibus conſtituit Grotius *in jur. belli & pacis. lib. 3. cap. 21. §. 4.* ſc. intra rem, ut cutis, terminus eſt cor-

est corporis, & extra rem, ut flumen terminus est terræ. Ad utrumq; hunc modum, etiam qvi voluntate constituuntur, terminos constitui posse putat. Magis tamen naturale ipsi videtur, ut terminus sumatur, qvi pars sit rei.

Th. 5. Fines dividuntur in naturales s. perpetuos, & industriales seu artificiales. Illi sunt, qvos natura ipsa ut plurimum inter magna imperia immutabiliter constituit, qvales sunt montes, valles, mare, flumina, rivi &c. Hi sunt, qvi operâ hominum constituuntur, ut castrum, villa, viæ, lapides, postes, arbores signatæ &c. vid. Mynsi. *Cent. 6. Observ. 25. à num. tertio ad fn.* Rutg. Ruland. *de Commiss. P. 2. l. 6. c. 1.* Besold. *in Systemat. Polit. de jur. territ. c. 2.*

Th. 6. Fines vel sunt continui, ut via, iter, vel discontinui, ut arbores & lapides.

Th. 7. Fines melioris ordinis gratia possunt cum Wehnero & Gylhusio distribui in publicos, privatos & communes seu mixtos.

Th. 8. Publici fines sunt, qvi à duobus vicinis Principibus vel Civitatibus ad dividenda territoria constituti sunt, & cum illud plerumq; per lapides fiat, ideo speciali vocabulo appellantur Land-Steine/ qvi per se non sunt publici, sed signis vel testibus adjectis circa illas partes lapidis qvæ utriusq; ponentis respiciunt regiones. Hisce consimiles censentur lapides, qvibus discernuntur termini venationum, juris lignandi, & decimarum, & vulgò vocantur Jagt/ Forst- und Zehend-Steine.

Th. 9. Privati fines sunt, qvi pagos à se invicem discernunt, & vocantur Marck-Steine. Lapides,

qvi agros vicini à privatis vicinis ſejungunt, ſive illi in ſylvis, ſive in campis poſiti, vocantur vulgò, Güter und Scheide-Steine.

Th. 10. Communes fines ſeu lapides ſunt, qvi tam ad privatos, qvam ad publicos fines ſpectant, ut ſunt lapides angulares: vulgò Ohrt-Steine / qvi à principio limitum, & in fine eorundem, plerumq; collocati inveniuntur: Annumerantur his qvoq; lapides mixtam naturam habentes, h. e. qvi è duobus lateribus tantum habent ſigna eines Land-Steines / Rutg. Ruland. *de Commiſſ. p. 2. lib. 6. c. 3.*

Caput II.

De

Finium Origine, Conſtitutione & Dependentibus ſeu pertinentiis.

Theſ. 1.

Poſitio finium Oeting. *de jure Lim. lib. 4. c. 1. n. 7.* Oldendorpium ſecutus, ex jure naturali deducit, atq; ita etiam explicat. *l. 5. d. juſt. & jur.* qvod Deus & natura ſuos cuiqve rei dederit fines: nam aliqvis inſpiciat ſaltem omnes fundos, regiones item & territoria, ſtatim inveniet, qvod potius ad diviſionem & dominium ſeu aliud qvoddam jus Superioritatis & Jdictionis, qvam ad communionem ſe inclinent. Nihilominus tamen finium poſitio etiam rectè attribuitur juri Gentium. *l. 5. p. d. Juſt.* tam primævo, qvod naturalis ratio ſeu æqvitas & conſcientia dictat. arg. 9. Præcept. Decal. qvam ſecundario, qvod communis Gentium Utilitas & Neceſſitas introduxit. Sic lex Divina apud populum Hebræum prohibuit

terminos mutare. *Deut. 19. v. 14.* Sic lex Solonis de finibus Athenis lata⁊. *l. fin. ff. fin. reg.* Sic Romulus urbem Romam muris tanqvam terminis circumdedit, & Numa Pompilius DEO Termino jura finium consecravit, ne, qvod freqvens est, temerè violarentur. Ideoq; etiam Romani in 12. tab. de finib. legem retulerunt, *d. l. fin.* qvam postea supplevit lex Manilia Cujac. *lib. 5. Obs. 21.* & multæ aliæ insequentes: Imò omnium gentium legislatoribus id curæ fuisse, ut inter cætera etiam terminorum in agris ratio haberetur, dicit Vult. *ad §. 20. Inst. de act.* Bene sic dicitur, nullam gentem reperiri, qvæ non ab altera finibus dividatur, si modo extremos Jappones exceperimus cum Sigism. Herberstein. *in Histor. Muscov.*

Th. 2. Sunt autem Regnorum & Provinciarum⁊ distinctiones necessariæ, propter Jurisdictionis exercitium, unde limites tertitorii dicuntur limites Jurisdictionis, & qvodcunq; est in septo territorii, præsumitur in dubio sub ejus jurisdictione esse, cujus est territorium. Reink. *de reg. Sec. & Eccles. lib. 1. cl. 5. c. 1. n. 24. 25. 26.* Atq; ita videtur esse imposibile & supra humanam sortem, posse unum aliqvem hominem, sive per se, s. per alios in omnibus Universi mundi regnis & provinciis, ut nunc sunt, jurisdictionem exercere; unde graviter erravit Campanella in suo scripto pro Monarchia Hispanica, qvod suo Regi Hispaniarum eam posibilitatem de universali mundi Monarchia persvadere voluerit⁊; multòq; magis ipsi Reges errarent, si talem Monarchiam acqvirendam sibi imaginarentur. Repugnat idipsum S. Scripturæ, & imprimis vaticinio ac visioni Daniclis, in qva DEUS ipsi ostendit, Romanam Monarchiam

fore

fore ultimam, eamqve post avulsa decem cornua, id est, regna & exortum imperium Mahometicum, valdè debilitatam atq; discordiis intestinis fessam. Neqve forma bestiæ qvartæ Danieli exhibitæ aliud indigitat, qvam diversas Imperii Romani formas, & nostri hodierni Germanici Aristocratiâ temperatam Monarchiam ad finem usqve mundi duraturam. Ut ideo nulla universalis orbis Europei Monarchia amplius sit speranda.

Th. 3. Cum autem ex prædicto jure Gentium secundario fluat distinctio dominiorum & territoriorum, ideoq; Brunm. ex hoc rectè cum Mev. *p. 5. D. 113.* colligit, etiam juris Gentium esse, ne qvis alterius subditos citet, arrestet, &c. vel eorum bona detineat. Et si hoc fiat, arrestati Magistratus justè interveniet.

Th. 4. Potestatem ponendi s. constituendi publicos Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Diœcesium, Parochiarum vel plebanatuum terminos Montanus *in tract. d. finibus c. 2. n. 11.* ait, esse de reservatis Papæ & Imperatoris vel Senatus in signum universalis imperii, qvod ad eos solos spectet dividere totum orbem arg. *l. qvod Principis 23. ff. d. aqva pluv. arc. Can. 1. dist. 8.* & *Can. 1. Caus. 13. q. 1.* rectius tamen id qvoad Imperatorem qvidem de jure tam divino (ob dictum Lucæ *c. 2. v. 1.* & ad Rom. *4. v. 13.* ubi mundus pro parte primariâ mundi, & à DEO singulariter in peculium populi sui selecta accipitur) qvam humano procederet ob *l. 9. ff. ad leg. Rhod. de jactu*, ubi Imperator tunc temporis revera Dominus totius mundi, vel trium ejus partium, sc. Asiæ, Africæ, & Europæ erat. *l. fin. C. d. temp. appellat.* & *tot. tit. C. d. Off. Præf. Præt.*

Africæ,

Africæ, neutiqvam verò hodiè de facto, ut testatur ipse Carolus V. Imperator Augustissimus arguto suo dicto ad Fridericum II. Electorem Palatinum, Globum ejus insignibus Anno 1544. adjiciens; *Trado tibi*, ait, *& dono, qvod meum non est, qvodve ipse non habeo, terrarum orbem* Thom. Leod. *in vit. Frid. Palat. lib. 13. c. 6.*

Th. 5. Rectius itaq; asseritur, qvod unusqvisqve Rex in suo regno, ut & singuli Status Imperii nostri in suis provinciis, ac deniq; alii qvicunq; territoriorum Domini, non secus ac qvilibet Paterfamilias fundum suum pro arbitrio in varias regiones dividere & terminos ponere possit arg. *l. 24. §. 3. d. legat. 1.* & *l. 60. pr. ff. d. verb. signif.* Vicini tamen consensus planè non est omittendus; Si autem fines seu termini duntaxat sunt reparandi, atqve in locum priorum citra mutationem novi sunt substituendi, non est necessarius vicini consensus.

Th. 6. Qvod attinet Diœceses (qvæ velut territoria sunt Ecclesiasticæ jurisdictionis) & Parochias, utut eas Primus Dionisius Papa distinxisse & limitasse credat Hieron. de Mont. *in tract. d. finibus Cap. 12. n. 4.* & *c. 13. n. 2.* per *Can. 1. Caus. 13. qv. 1.* & *Cap. Pastoralis 9. X. d. his qvæ fiunt à Prælatis sine Consensu Capituli.* Abolita tamen hodiè, aut sanè immutata valdè apud Lutheranos & Reformatos potestate Pontificis, Principes & territoriorum Domini, una cum cœteris juribus Ecclesiasticis, de qvibus Carpz. *in Jurisp. Consist. Lib. 1. Def. 2.* & hanc Diœcesin constituendi atqve finiendi potestatem sibi rectè vindicant.

Th. 7. Fines, seu termini privati, hodiè, modo privata authoritate vicinorum, etiam inscio Magistratu, modo adhibitis arbitris possunt constitui.

Th. 8. Non ſolum fundi & poſſeſſiones, ſive ſint agri ſinguli, ſive Civitates, ſive provinciæ, ſive regna, ſive Imperia, ſed & jura, ut ſunt, paſcua, Venationes, Decimæ, ſuis circumſcribuntur limitib9, indeq; lapides terminales horum fines extendentes nomen ſortiuntur, Weide-Steine/ Jagt-Stein/ Zehend-Steine/ Bann-oder Obrigkeit-Stein/ Gleit-Stein/ Fregung-Stein/ For-Stein/ Marck-Stein/ Güter-Stein/ Weg-Stein/ Waſſer-Stein/ Teich-Stein/ Oetinger. *in ſpeciali tr. de finibus lib. 1. c. 27.* Item, Jdictio certa incluſa eſt finibus, qvos egredi nemini licet: ut plurimum Jdictio territorio cohæret, indèq; regulariter limites territorii habentur pro limitibus Jdictionis. Beſold. *in Addit. Theſ. pr. in voce* Marck.

Th. 9. Flumina à natura habent ſuos fines, ſcil. ipſum mare. Sirac. *c. 44. v. 1.* Sed præter id, ſi in duorum territoriorum vel Civitatum confinio exiſtit, præſumitur commune, & utriq; competit Jdictio, niſi appareat unum tantum totum flumen poſſidere, & imperium in eo habere, qvorum Exempla vid. ap. Montan. *d. fin. c. 24. n. 9. & ſeqq.*

Th. 10. Qværitur, an in alto mari etiam fines conſtitui poſſint? & negari vix poſſe putat Beſoldus *d. loc.* partes maris aliqvo modo limitatas eſſe, vel per certum numerum milliariorum & ſtadiorum, vel per adjacentem terram, propriè tamen nullo modo fines in mari conſtitui poſſe: Hinc D. Ambroſius, Geometram, inqvit, audivimus, Thalaſſometram nunqvam *lib. 5. Hexamer. c. 10.* Aſt licet communis Dd. ſententia ſit, qvod Jdictionem habens in terra, habeat & eam à littore in mari ad centum milliaria. Br. *in tr. d. Inſul. n. 1.* Cæpol. *in tr. d. ſervit. tit. d. mari n. 17.* Cacher. *Deciſ. 155. n. 3.*

155. n. 3. Ultra centum verò milliaria Jdictionem esse Imperatoris. Cæpol. *d. l. n. 16.* Alii ad sexaginta milliaria eam extendunt, & ita in causa Ducis Allobrogum judicatum refert Bodin. *l. d. Rep. 10. n. 70.* Sentio tamen cum Francis. Stypm. *in tr. d. jur. Mar. p. 1. c. 5. n. 55. & seqq.* qvod unicuiq; juxta sua littora competat dominium, extra & qvatenus Classe locum aliqvem occupavit, in reliqvis omnium manere æqvum jus pro indiviso, vel ad minimum facta proportione, ejus jus potius esse, si simul mare occupavit, aliorum non dempto, cujus longius juxta mare se extendit territorium. Qvod autem hæc de maribus privatis seu particularibus tantum, neutiqvam vero de mari universo, utpote limites non agnoscente, vera esse censeat, in ea vix fidem habebit; Siqvidem omnia particularia maria in universum fluunt, & totum constituunt; qvod autem de parte prædicatur, idem & de toto verum. Si ergò aliqvod stadium intra certa milliaria qvis habeat, suoq; jure teneat, omninò hoc ad jus maris facit, cum incommoda & impetus ejus sentiat. Unde rectè colligit Montan. *d. tr. c. 7. n. 9. 10. 11.* qvod delinqventes & contrahentes in mari, sortiantur ejus loci forum, cui appropinqvat mare, item qvod delictum perpetratum in mari, inter duas Civitates æq; distantes ab utraq; sit cognoscendum & puniendum, præventioni tamen sit locus. *l. 7. ff. d. judic.* & præveniisse dicatur, qvi delinqventem cæpit in mari. Qvinimò Angli ante paucos annos tale jus in piscando observare Batavos coëgerunt. Injustè ergò qvidam populi sibi solis totius maris Balthici dominium attribuunt, & Imperatori Principibusq; mari accolentibus classem in eo habere denegant.

gant. Et licet naves, utpotè vagæ, & ab uno loco in alium fluctuantes non sint limites firmi & immoti, aptæqve determinandis territoriis, sunt tamen aptæ ad determinandam Jdictionem; Ideòq; bona est opinio sentientium, classe signari terminos occupationis in mari. vid. omninò Selden. *de mari clauſ.*

Th. 11. Sic fines non solum in terra & Mari, sed & in cœlo & aëre constitui posse vult Bald. *vol. 1. Consil. 420.* & Cœpoll. *in d. tr. tit. de mari n. 24.* & constituti sunt tempore Alexandri Papæ VI. inter Lusitanos s. Portugalenses & Castellanos, dividendo Insulas Indiæ tunc noviter repertas, per lineas graduum Cœli, & qvicqvid reperiebatur à parte orientali, erat Portugalensium, & à parte occidentali erat Castellanorum.

Th. 12. Ut fines cò meliùs dignoscantur, pro Esse suo reqvirunt signa seu Notas. Horum Exempla potiora sunt: (1) Lapides, habentes insculptos aut incisos characteres aut insignia. (2) Statuæ ligneæ imaginibus & insignibus conspicuæ, seu trunci in terram ita per designatos & juratos artifices ritu qvodam solenni infixi, ut pars superior cum signo aliqvo & foramine emineat, inferior verò sub & adpositos habeat lapillos, vel Carbones, vel Cineres, vel ova, qvæ non putrescunt, secundum Augustin. *de Civit. DEI lib. 21. c. 4.* Unde vulgò vocant Indices, testes, judices, Gvardia Beylag / Eyer / Gemärck. Besold. *in addit. Thes. pr. in voce* Marck / ut, si post longum tempus fines in dubium vocantur, per istos testes probetur, non casu sc. eo perveniſſe, sed constitutum & ab hominibus pro finibus positum daß es ein Marck-Stein / und nicht ein Feld-Stein sey.

Unde

Unde dubium, ſi lapides magni eleventur, & agrimenſores nulla talia ſigna ſub eis, vel propè eos inveniant, & ut alii loqvuntur ohne Eyer ſeyn / an in priſtinum locum reponendi ſint. vid. Ruland. *de Commiſſ. p. 2. lib. 6. c. 1. fol. 259.* (3) Vepres, & freqventius arbores perforatæ vel inciſæ, Germ. Laken / Lochen und Loch-Bäume. (4) Sepes. (5) Ædificia & muri. (6) Sepulchra. Tholoſ. *Synt. lib. 39. c. 13. n. 5.* (7) Foſſæ. (8) Clauſuræ ſive anguſtiæ adituum, Päſſe / qvarum munitiones ſive arces vocantur Burgi & Caſtra. (9) Itinera. (10) Margines; Eſt autem margo extremitas agri, habens terram ſulcos eminentem. (11) Rigor, Rain / qvi eſt rectitudo naturalis, inculta & plana, qva interdum agri diſterminantur. (12) Montes, petræ, Colles, & Colliculi parvi manu facti. (13) Valles. (14) Aqvæ, fontes, rivi, & flumina.

Caput III.

De

Finium Dependentibus ſeu pertinentiis.

Theſ. 1.

CUm fines finiant agros ſingulos & univerſos, i. e. territoria, non habent dependentia ſ. pertinentias. Propriè alias pertinentiarum nomine intelliguntur tantum, qvæ ſtatuto, Conſvetudine vel lege deputata ſunt, ut ſint pertinentiæ. Non ergò præſumuntur pertinentiæ niſi probentur. Nam facto opus eſt, qvod ſc. voluntate Patrisfam. deſtinatæ ſint ad pagum vel caſtrum aliqvod, ut ſint ejus pertinentiæ. Thilm. d. Benig. *Deciſ. Imp. Synt. 1. Dec. 5. vol. 5. n. 14.* Idem in *Synt. 2. Deciſ. 3. vol. 9. n. 14.* dicit, qvod

apprehensà poſſeſsione Caſtri vel territorii alicujus, cenſeantur omnes villæ ad Caſtrum pertinentes, omnes fundi circumjacentes & qvicqvid omninò in toto iſto territorio, vel extra ad Caſtrum pertinet.

Th. 2. In agro tamen ſeparatim vendito, non qvi antiqvitus fuerunt, ſed qvos venditor in vendendo demonſtravit, fines exqvirendi ſunt; *l. 12. ff. fin. reg.* ibiq; Cujac. *tom. 1. p. 109.* & Buſ. qvæ lex è diametro militat contra eos, qvi alios fines ſub prætextu dependentiarum antiqviſsimarum qværunt, qvam qvi in Inſtr. Pac. Monaſt. demonſtrati vel addicti ſunt, & licet res ad antiqvum ſtatum reducenda, neutiqvam tamen de jure naturæ & divino contra pactum eſt faciendum.

Th. 3. An autem ſigna finium habeant dependentia ſeu pertinentias, de eo nullus dubito, cum eadem ſæpisſimè proprietatis controverſiam patiantur. Regula ergò eſt, ſigna finium qvoad proprietatem ſunt communia, adeòq; utriusq; vicinorum Cæpoll. *de Serv. ruſt. præd. c. 31. n. 14.* ubi tamen tantum de naturalibus ſignis loqvitur. Sed Qv. Utrum ſigna finium pro partibus diviſis, an indiviſis ſint communia? Affirmandum prius puto, etiamſi iſta ſint diſcontinua, ut arbores & lapides. *l. 19. pr. ff. d. com. divid.* qvamdiu ſc. cohærent fundo? Separata enim à fundo ſtatim confuſo jure dominii fiunt communia pro indiviſo. *d. l. 19. l. 83. ff. pro Socio.* In continuis autem id facilius procedit, ut pro partibus diviſis ad utrumq; pertineant vicinum, ut foſſæ. *l. 2. §. 2. ff. d. aq. & aqv. pluv. art.* viæ, ſive privatæ ſive publicæ. *l. 4. §. fin. & ſeqq. ff. fin. reg.* & flumina §. *16. Inſtit. d. R. D.* qvia eo animo

animo populus uterq; imperium primitus creditur occupaſſe, ut flumen ſui medietate eos dirimiret. Grot. *d. jur. Bel. & P. lib. 2. c. 3. §. 16.* Aliter autem & minus rectè ſentit Oeting. *d. jur. lim. lib. 1. c. 18. n. 21. 22.* & *in not. lit. p. qv. 5.* qvod ſc. flumen qvoad alveum ſit commune pro diviſo, qvoad aqvas (propter earum motum continuum) ſit commune pro indiviſo.

Th. 4. Prædicta autem regula de communione ſignorum finalium non habet locum, ſi totum flumen uni parti accedat vel per pactum vel per præſcriptionem, vel qvod alterius ripæ imperium ſæpius cœperit, atq; occupato jam flumine ab altero vicino Grot. *d. jur. Bel. & P. lib. 2. c. 3. §. 16. 18.* Si autem in pacto includatur Particula DE, IN & USQ;, ſignum non cedit ſignato, qvia in diviſionibus & diſtinctionibus iſtæ particulæ non pro incluſivis, ſed excluſivis habentur: ſub diſtinctione tamen de qva in *cap. 2. th. 3.* Item ſi ſignum finium in meo ſolo totum ſit poſitum, totum meum eſt. *§. 29. Inſt. d. R. div. l. fin. in fin. ff. fin. reg.* Sic & Montanus *in c. 17. n. 7. & c. 19. n. 5.* refert: qvod arbores finales ſint communes, ſi ab utraq; finium parte ſint perforatæ, ſeu notatæ; Sin autem ab una tantum parte, ejus eſſe arbores, à cujus parte liberæ ſint & ſine nota? Deniq; ex Cujac. *lib. 10. c. 2.* notandum, qvod proprietas Rigoris ex lege limitum ad eum ſpectet, qvi ſuperiorem agrum habet, qvaſi in compenſationem moleſtiæ ipſi ex facto inferioris vicini fortè creatæ vel creandæ. *l. 1. §. f. ff. d. aqv. & aqv. pluv.*

Cap. IV.

Caput IV.

De

Finium Mutatione & Amissione.

Thes. 1.

FInes, etsi notati sunt signis artificialibus sive naturalibus, mutationis tamen & corruptionis non sunt expertes, nam omnes res mutationi & corruptioni sunt obnoxiæ, qvidni ergò & flumina, viæ & alia signa. Falluntur sic, qvi, qvod natura non mutetur, naturales fines statuunt esse immutabiles.

Th. 2. Mutantur fines vel casu, vel facto hominis. Casu, ut per alluvionem & abluvionem, nam qvod per eam imperii aut territorii terminus mutetur, latissimè deduxit Francisc. Curtius *Cons. 56.* Negat Bart. & alii. Sed rectè distingvit Grot. inter Imperia arcifinia, limitata aut certa mensura assignata, de istis affirmat, de his negat. *de jur. Bell. lib. 2. c. 3. §. 16.* Si autem flumen priorem alveum ex parte vel in totum dereliqverit & alium novum effecerit, fines Imperii haud mutari, aut ad novum alveum extendi, sed veterem nihilominus omninò attendendum esse, contra Grotiũ audeo defendere. *p. l. 7. §. 5. ff. d. A. R. D.*

Th. 3. Facto hominis mutantur fines, sc. vel utriusq; vicinorum Conventione, vel unius tantum, ut bellica occupatione & præscriptione, vel tertii cujusdam, ut judicis adjudicatione.

Th. 4. Qvod pacto mutari possint fines, planum est ex. *l. 2. C. fin. reg.* Sed in præjudicium & fraudem Creditoris de finibus fundi maximè pignorati cum vicino debitor paciscí neqvit. *l. 21. pr. qvæ in fraud. Cred.* Neqve Dominus feudi in præjudicium vasalli fines

feudi

feudi mutare poteſt, neq; vice verſa Vaſallus, cui non magis partem feudi, qvam totum feudum alienare licet. *2. F. 55. pr.* niſi fines ſint controverſi, qvo caſu tranſigere poteſt, ſed tantum ad retinendum. *2. F. 43. & 26. §. ſi vaſallus* neq; Domini territoriorum mutantes territoriorum fines, finibus diœceſium Eccleſiaſticarum præjudicant *c. 5. in fin. cauſ. 16. qv. 3.* utpote, qvæ ſecundum diſtinctionem territoriorum non diſtingvuntur *c. 1. X. d. relig. domib.* qvod tamen vix procedit in terris imperii, vel maximè apud Reformatos.

Th. 5. Qv. An bello fines Imperii posſint proferri? Ante Nini tempora teſte Trogo mos erat fines Imperii tueri magis, qvam proferre: & Cyrillus *lib. 5. contra Julianum* Reges Hebræos hoc nomine laudat, qvod ſuis contenti eſſent finibus; Nam proferre terminos reprehenditur. Deut. *19. v. 14.* qvod & Propheta Amoſus in ipſis Ammonitis facit, cujus verba ſunt *c. 1. v. 13.* DEUM viſitaturum Ammonitas qvod diviſerint gravidas, ut dilatavcrint terminum ſuum. Nam erat odium inveteratum Ammonitarum contra Giliaditas, adeò, ut etiam ipſis gravidis non parcerent, ne liberi parentibus in poſſeſſionibus ſuccederent, itaq; ipſi vacuam terram occuparent, nemine, qvi eam vindicare & aſſerere poſſet, ſuperſtite. Oſiand. ad Grot. *de jur. Bell. lib. 3. c. 15. §. 2.* Sic & Criſpus Saluſtius *in Jugurtæ* de Romanis veteribus: Majores noſtri religioſiſſimi mortales nihil victis eripiebant prærer injuriæ licentiam. Cum qvo illud ejusdem convenit: Sapientes pacis cauſa bellum gerunt & laborem ſpe otii ſuſtentant. Nec aliud vult Cicero *d. Offic. 1.* cujus hoc eſt ſanctiſſimum effatum: Bellum ita ſuſcipiatur, ut nihil

aliud nisi pax qvæsita videatur ; Ejusdem & hoc simile : Sic suscipienda bella sunt ob eam causam, ut sine injuria in pace vivatur. Procul dubio ad Numæ instituta respexerunt, inter qvæ, teste Plutarcho *in Rom. 15.* laudatur, qvod à termini sacris omnem sangvinem abesse voluerit, significans ad qvietem & certam pacem nihil utilius, qvam suis se finibus tenere. Grot. *d. j. bell. & pac. lib. 3. c. 15. §. 7.* Undè optimè Florus : Difficilius est Provincias obtinere, qvam facere, viribus parantur, jure retinentur ; Cui non dissimile illud ap. Liv. *lib. 37.* facilius parari singula, qvam teneri universa ; & Alexandri Imp. dictum Artaxerxi Persæ : manendum cuiqve intra suos fines, nihil novando, neq; debere qvemq; incerta spe sublatum bella incipere, sed suo esse contentum. Qvod Titus Qvintius ap. Liv. *lib. 28.* explicat, comparatione testudinis tutæ ad ictus, ubi collecta in suum tegmen est ; obnoxiæ atq; infirmæ simul exercuerit sui partem. Sed alia proh dolor brutalis consvetudo est in contrarium hodiè à multis Regibus introducta, qva qvilibet id unicè intendit, qvomodo fines suos dilatare, & sic bellum ex bello continuè habere possit.

Th. 6. Qvod attinet præscriptionem finium in agris, certum est, qvod illi, ut aliæ res immobiles, à Possessore justum titulum & bonam finem habente, longo tempore præscribantur. *l. 2. §. 6. l. 7. §. 1. ff. pro empt.* Si verò bona fides & justus Titulus absit, longissimum tempus, i. e. 30. An. ad eorum præscriptionem reqviritur. *l. fin. C. fin. reg.* Alias ad has ut & *l. 5. C. eod.* variè diffentiant. Baldus, Tholossanus, Montanus, Oldendorpius, Meierus, Bachovius, Struvius, Hahnius & multi alii. In finibus prædiorum

orum Eccleſiaſticorum tantum attenditur præſcriptio qvadragenaria *c. 9.* ubi Felin. *n. 5. X. de præſcript. c. 3.* ubi Felin. *n. 3. X. de probat.* Imò fines Parochiarum & Diœceſium ex diſpoſitione juris Canonici nullo tempore præſcribuntur. *c. 4. X. d. Paroch. c. 4. 5. 6. cauſ. 16. qv. 3.* Territoriorum & Jdictionum fines communiter ferè nulla præſcriptione mutari poſſe contendunt, Montanus & multi alii. Franciſc. Curt. *Conſ. 56.* & ſic communiter receptum eſt, fines Parochiarum, Diœceſium, Provinciarum, Regnorum, vel ſimiles præſcribi non poſſe, ſi de iis conſtet; ſi verò de iis non conſtet, præſcribi poſſunt, non ut limites, ſed ut ſolum proprium, & ſic jure proprietatis & non jure finium. Limes enim ut limes ſecundum Mynſ. *cent. 6. Obſ. 28. n. 2.* eſt inpræſcriptibilis; ratio eſt, qvia inter confines & confinantes ſocios uterq; utitur eo, ut fine & limite communi, nec unus ſolus ſuo nomine posſidet, ideò etiam non præſcribit, ſed ſocio vel confini ſuo communi nomine ſemper communem retinet, & ſic ratione ſuæ partis nunqvam bonam fidem haberet, ſi ſolus vindicaret. *l. merito ff. pro Socio.* Ubi autem fines ſunt turbati, ita ut non conſtet de limite, ſaltem qvantum ad perſonam præſcribentis, qvi ignorat, illum locum non eſſe limitem, ſed utatur vel poſſideat eum pro ſuo loco, licet alias conſtet eſſe limitem, tunc benè poteſt præſcribi. Mynſ. *d. cent. n. 3. & ſeqq.* ubi *n. 6.* addit: qvod ſicut non præſcribuntur fines jure finium, ita nec cohærentia finium; cohærentia tamen arbitrio judicis moderanda ſunt, ut non intelligatur de prædio amplisſimo cohærente finibus, ſed arbitrio judicis definiatur modicum ſpatium. Ea verò, qvæ ſunt intra limites Diœceſium vel Provinciarum, poſſunt præ-

scribi *per c. qvia judicante X. de præscript.* & ideò unus Episcopus potest præscribere Ecclesias vel alia jura in alia Diœcesi. *c. auditis & c. ad aures de præscr.* Sic & in beneficiis feudalibus præscriptiones finium currunt. *2. F. 87.* Qvinimo si de finibus qvidem constet, illi tamen melius distingvi possunt aut rectius, qvo minus id fiat, nec hic ulla impediet præscriptio. Schn. *ad ff. qvædam n. 18. Inst. de Act.* Hun. *ad Treutler. lib. 1. disp. 19. th. 8. lit. D.*

Caput V.

De

Finium recuperatione & probatione.

Thes. 1.

IN recuperatione finium præprimis necessarium est, eos probare, qvod contingit vel per Signa, vel Instrumenta, vel testes, vel actus Jdictionales vel præsumptiones.

Th. 2. Primò, signa finium, licet sint aperta, non tamen videntur superare omnem aliam probationem, qvæ aliqvo modo fit per Instrumenta, vel actus Jdictionales. Interim eorum inscriptiones & literæ incisæ aut insculptæ, utpote omnium oculis publicè expositæ pro publicis ex consvetudine haberi, tradit Mascard. *d. probat. concl. 399. n. 6. & seqq.* contra Felinum, qvi eas probare negat, ubi de gravi præjudicio agitur: Verum, in probatione finium ii tantum limites perpenduntur, qvi erecti sunt, ut territorium à confine territorio disterminent, in qvibus probandis tanta occurrit difficultas, ut transactioni amicabili potius locus asignandus, qvam legitimo marte debellandum sit Knich. *de jur. territ. c. 3. n. 4. & 5.*

Th. 3. Secun-

Th. 3. Secundò, ad probationem finium plurimum faciunt libri antiqvi. *c. 13. X. de probationibus.* Ut sunt, libri censuales, continentes jurisdictionum fines & sæpissimè singulorum prædiorum descriptiones, Saal- und Steur-Bücher/ Steur-Register/ aliave Instrumenta, vel scripturæ pro finibus factæ Bocer. *Class. 3. Diss. 19. θ. 11.* Ampliat. & limit. vid. apud Gylh. *in arb. jud. c. 6. p. 1. d. prob. §. 132.* Præcipuè autem probantur fines literis, qvibus fines designantur, Bezircke-Brieffe/ sive conceptæ sint verbis directis vel enunciativis. Gylhus. *in arb. jud. Civ. c. 6. §. 132. n. 1.* Sunt autem verba enunciativa, qvæ voluntatem sive dispositionem non continent: directa ergò sunt, cum partes enunciant fines Matth. *de Afflict. Decis. Neapol. 83. n. 1. 2.* An autem libri isti, si in alterius territorii archivo reperiantur, probent, dubitare licet per ea, qvæ habet Carpz. *p. 1. Const. 16. def. 25. n. 3.* Libris tamen historicis & Chronicis, qvibus à majoribus nostris fides fuit habita, vim aliqvam probandi tribuit Mascard. *Concl. 298. n. 6.*

Th. 4. Tertiò, fines probantur per attestationes testium Seniorum specificè de finibus eorumq; præsertim actibus particularibus deponentium Knich. *de jur. territ. c. 3. n. 6.* qvos interdum singulares esse. Montanus. *c. 52.* & de auditu. *c. 5. in fin. X. de testibus.* Imo de auditu auditus, duntaxat deponere sufficit. Mynsi. *6. Obs. 26. n. 5.* Ampl. & lim. vid. ap. Gylh. *d. loc. §. 133.* modo nominent auctores suos. *l. 47. X. de testibus.* Multò magis ergò probabit testimonium de fama & communi opinione. *c. 13. X. d. prob.* Sic & magis creditur testibus vicinis. *l. 1. ff. de finibus* qvam illis, qvi sunt de Universitate, cum qva lis est de finibus, qvos

Mev. *p. 2. D. 86. n. 2.* planè non admittit, ſed Carpz. *p. 1. Conſt. 16. Def. 65.* tantum eo caſu repellit, ſi utilitas ad ſingulos de Univerſitate immediatè pertineat.

Th. 5. Qvarto, fines Superioritatis & Jdictionis probantur (1) per obſervantiam mandatorum: qvi enim paret mandatis, ſubditus eſſe putatur. Maſc. *de probat. Concl. 546. n. 4.* & *concluſ. 1339. n. 1.* (2) per ſolam Edictorum Affixionem, etſi nemo in pœnam incurrat Natta *Conſ. 636. n. 77.* (3) per Juſtitiæ adminiſtrationem. Unde vulgatum illud, qvi te judicat, Dominus tuus eſt. Menoch. *lib. 1. Conſ. 75. n. 22.* & *Conſ. 21. n. 10.* (4) per ſolutionem Cenſus *c. omnis anima X. d. Cenſ.* & Gabellarum, qvia jus exigendi gabellas arguit imperium in loco, in qvo exiguntur *l. vectigalia C. d. Vectigal.* (5) Per Inſignia Principis in Curiis aliisve locis depicta Mont. *de fin. reg. c. 75. 5.* (6) per decretam cognitionem judici factam. Menoch. *lib. 2. Conſ. 147. n. 161.* (7) Per opinionem vulgi & judicium circumcolentium, præcipuè ſupplicium ruſticorum. Knich. *de jur. territ. c. 3. n. 9.* (8) per renovationem inveſtituræ. Menoch. *lib. 1. Conſ. 66. n. 22.* (9) Per publicam famam. Menoch. *remed. 3. retin. poſſ. n. 583.* Ampl & limit. vid. ap. Gylh *d. loc. 134.* (10) Per cuſtodiam caſtro adhibitam, nam cuſtodia arguit fines illos eſſe cuſtodientis. Menoch. *lib. 2. Conſ. 147. n. 17.* (11) per confiſcationem bonorum, aliosq; actus Jdictionis Mont. *d. fin. reg. c. 52. n. 4.* & qvidem unicus actus Jdictionis ſuo jure factus qvæſitam eſſe Jdictionem in cœteris omnibus arguit, ſi eo animo actus ille geritur. id. *d. c. 78. n. 1. & ſeqq.* (12) per Sententias Judicum & arbitrorum, item per privilegia ab illo indulta, cujus eſt diſponere. Knich. *de jur. territ. cap. 3. n. 40. & 42.* (13) per obſervantiam

vantiam Joseph. Ludov. *Cons. 38. vers. infertur 12. & 85.* (14) Per Dicasterium provinciale & Constitutionem provincialem. Knich. *d c. 3. n. 276.* (15) Per reservationem in literis gratiosis factam. Gylhus. *in arb. jud. c. 1. p. 1. n. 113.* (16) per pœnas & mulctas, qvæ Jdictionis fructus sunt, qvarum tamen perceptio ad universalem superioritatem demonstrandam non multum proderit. Gylh. *d loc. n. 114. 115.* nam in uno eodemq; loco alium pœnas & mulctas sententia judicis impositas, alium ipsam Jurisdictionem habere posse eleganter probat Natta *Cons. 636. n. 128. & seqq.* (17) per merum imperium, jus foresti, Advocatiam & juramentum subjectionis, licet qvoad tria priora ad probandam Universalem superioritatem & Jdictionem disf. Gylhus. *c. 1. p. 1. n. 118. & in cap. 6. p. 2. art. 2. de Commiss.*

Th. 6. Qvinto, ob difficultatem probandi etiam minus perfectæ finium probationes recipiuntur, inprimis autem in finibus antiqvis semiplenæ probationes pro plenis, qvatenus pleniores non sunt in contrarium, ex communi Doct. Sententia habentur. Sufficiunt autem conjecturæ, & argumenta, qvæ alias non sufficerent tex. *c. cum causam X. de probat.* Ampl. & lim. vid. ap. Gylh. *d. loc. §. 135.*

Th. 7. Effectus confinium probationis, ut illa de sui natura involvant, qvæcunq; intra ea continentur, & submoveant, qvæ ultra sunt constituta; ita etiam qvoad superioritatem & universale territorii dominium & recognitionem, fines tribuunt Principi jus territorii, ut intra illud constitutum ad eum pertineat. Montan. *de fin. reg. c. 15. n. 11.* Qvicqvid enim intra fines est, territorium dicitur. Decius. *Cons. 649. n. 17.*

censc-

censeturq; de corpore territorii. Natta *Cons. 204. n. 1. & seqq.* Hinc limites Jdictionis æstimantur secundum limites territorii, & contra Knich. *d. terr. c. 3. n. 99.*

Th. 8. Deinde finium probatio hanc qvoq; præsumtionem suggerit, ut loca contentiosa censeantur de territorio ejus, cui magis sunt propinqva. Mascard. *d. probat. concl. 207. n. 10.* Raudens. *lib. 2. Resp. 32. n. 43.* Cujus ratio perhibetur, qvod vicinitas præbeat, ut & aptitudo argumentum Dominii. Knich. *d. l. n. 106.* Secus autem, si qvis primus ea loca occupavit. Mynsi. *6. Obs. 26.* qvam posteriorem præsumtionem etiam finibus Diœcesium applicari posse puto arg. *c. 1. caus. 13. q. 2. & c. 4. caus. 16. qv. 3.* idq; contra Felin ad *cap. 13. n. 12. X. de probat.* & Mascard. *concl. 403. n. 24. & seqq.*

Th. 9. Qvando nunc fines vel vetustate confusi, vel vi fluminis turbati aut obscurati sunt, pro iis recuperandis primum remedium est Actio fin. reg. i. e. dirigendorum, qvæ & actio limitis, finale jurgium, & finalis qvæstio dicitur, & differt à rei vindicatione, utpote in qva res ipsa principaliter vindicatur, & per consequentiam saltem de finibus agitur, in illa verò principaliter de finibus tantum agitur. arg. *l. 6. ff. d. Rei vind. juncta. l. 1. ff. fin. reg.*

Th. 10. Actio fin. reg. pertinet regulariter tantum ad prædia rustica confinia, non urbana *l. 2. 4. §. pen. & fin. ff. fin. reg.* qvia parietibus hæc disterminantur. Si verò & de horum latitudine contendatur, non est dubium, qvin Actio fin. reg. & ad ea spectet, ut si hortus latius sit extensus, vel arbor legitimo 5. pedum spatio non intermisso plantata sit: sive obsit, sive non noceat, sive in ædes vel fundum alienum inclinet, sive non *l. 4. §. 10. & l. ult. ff. fin. reg.*

Th. 11. Datur

Th. 11. Datur Actio fin. reg. non inter directos duntaxat fundorum dominos, sed & cœteros, etiam jus in re habentes. *l. 4. §. 8. ff. fin. reg.* modo sint confines. Ex communi Doctorum consensu datur etiam Prælatis Ecclesiæ & Canonicis præbendæ nomine, Tutoribus & Curatoribꝰ, Commendatariis, Vasallis, Civitatibus & Municipiis de jurisdictionis suæ terminis & Principibus de Principatuum finibus, adeòqꝫ qvibusvis territoriorum Dominis de provinciarum suarum finibus, modo eidem pareant summo Imperio. Bicc. *in Nucl. C. J. A. θ. 6.* non tamen datur Sociis *l. 4. §. 6. ff. eod.* qvia in fundo communi nulli fines sunt & sic idem contra se ageret. Zoës. *ad d. tit. n. 7.*

Th. 12. Petitur actione fin. reg. (1) Fines ritè distingvi vel renovari, (2) præstari qvæ finibus adhærent & (3) omne id, qvod interest fines non esse mutatos vel exaratos. *l. 4. §. 1. ff. fin. reg.* nec non restitui omnes fructus post litem contestatam, vel antea mala fide perceptos *d. l. 4. §. 2.* (4) Persolvi pœnam contumaciæ *§. pen. Inst. d. Off. jud.*

Th. 13. Ex proximè dictis sic constat, Actionem fin. reg. non esse divisoriam, ut alias ferè communiter Doctores sentiunt, qvia in ea non petitur divisio in partes, sed distinctio tantum: id est declaratio & restitutio rerum jam sejunctarum. Bald. *ad l. 3. n. 3. C. fin. reg.* Ant. Fab. *err. pragm. decad. 94. c. 5.*

Th. 14. Sic & benè notandum, qvod Theodorus Marcilius *ad §. 28. Inst. d. Act.* testetur, in vetustissimis membranis Actionē fin. reg. connumerari expressim bonæ fidei actionibus, qvod probatur *§. 20. Inst. de act. junct. §. 28. l. 8. §. 1. ff. fin. reg.* ibi. ut æqvum est. Si cui ista sententia minus probetur, tamen relinqvendum,

actionem esse arbitrariam, non stricti juris, cum & judex in hac actione dicatur arbiter. *l. 7. ff. fin. reg.* & qvomodo hæc actio ratione præstationum personalium stricti juris esse posset, cum in ea de ultro citroq; obligatione agatur, qvæ est certissima nota actionum bonæ fidei, utpote, in qvibus judex liberam habet potestatem judicandi ex æqvo & bono. §. *29. 30. & 31. Inst. d. act. ibiq; Locam in not. lit. G.*

Th. 15. In dijudicanda autem finali qvæstione judex vetera monumenta terminosq; antiqvis libris aut testibus probatos seqvetur, nisi de recentioribus possessorum arbitrio, aliave legitima ratione constitutis appareat. *l. 11. 12. ff. fin. reg.* Si nulla veterum vestigia appareant, nec probari pvssint, novi fines Consilio Agrimensorum constituendi sunt Mynsi. *6. obs. 27.* lite qvoq; ob partis forte absentiam non contestata. *l. 44. ff. d. recept. qvi arbit. recep.* Si fines rectè dirigi neqveant, vel propter loci inæqvalitatem, vel propter veterum finium incertitudinem, & ideò aliis finibus evidentioribus agrum distingvi expediat, hoc uno casu permittitur adjudicatio. Nam cum hic necesse sit ex unius agro partem aliqvam detrahi, & alterius agri Domino adjici, res transigenda adjudicatione & condemnatione. *l. 2. §. 1. l. 3. l. 4. ff. fin. reg.* alias judicium fin. reg. non admittit adjudicationes & condemnationes mutuas, qvia in eo non agitur de re communi, ut dividatur, sed de re, qvam qvisq; suam contendit, ut finibus ad normam suam redactis, qvod qvisq; intra fines istos habet, id totum retineat; Si qvid amplius, id vicino restituatur. *l. 4. pr. l. 8. pr. & §. 1. ff. fin. reg.* & qvidem per processum summarium, si termini sunt naturales & notorii; si verò de iis non constet,

constet, processus est ordinarius, qvi vel per sententiam, vel transactionem vel juramentum finiendus. Montan. *d. fin. c. 101. n. 1. De proceſſ. fin.* vid. omnino Old. *clasſ. 3. Act. 14.* Gylh. *arb. Civ.* & Ruland. *d. Commiſſ.*

Th. 16. Cumprimis judicis officium est, terminos tum antiqvos, tum si illi possessorum arbitrio mutati fortè sint, recenter constitutos custodire. Qvod ut rectius fiat, latam Athenienſibus à Solone legem in *l. fin. ff. fin. reg.* observare, eosq; qvi vel agrimensorem à judice missum non admiserunt, contumaciæ nomine, vel qvi malitioſè aliqvid contra fines commiserunt, condemnare, sc. in id, qvanti in litem juratum fuit arg. *l. 3. ff. d. in lit. jurand.* ut post gl. h. docet Mynſ. *n. 3.* Heig. *n. 5.* & pleriq; alii interpretes.

Th. 17. Secundum remedium recuperandorum finium est Condictio ex *l. 4. C. fin. reg.* qva pœna constituta in eum, qvi finium regundorum agit, & non exspectata sententia aliqvid de fundo vicini invadit, sc. qvod ille, si justam habeat actionem, ea cadat, s. propriam suam rem perdat; Si verò injustam habeat actionem, non tantum partem occupatam, sed & tantam agri partem ex suo restituere debet, qvantam adimere tentavit. Ratio est in textu, sc. qvo magis unusqvisqve contentus suo, rem non expectat juris alieni. Atq; sic hoc remedium magnam habet affinitatem cum *L. Si qvis in tantam C. Unde Vi*, & *L. Extat. 13. ff. qvod met. causa.* Differt tamen ab illis legibus, qvod hæc *l. 4.* in immobilib. tantum & horum finibus locum habeat, & qvidem, si occupatio ista sit facta post litem contestatam, ut ex gl. hic communiter colligunt Doctores. Sed, si qvis ante litem motam invaserit alienum, & tunc locum habere dicit remedium hujus

legis, juncta tamen *d. l. Extat.* & *l. Si qvis in tant.* Molin. *de just. & j. Disp. 695. n. 10.* Rectius tamen statuitur, qvod in his legibus tantum de violentis invasoribus & rei æstimatione solvenda, in *l. 4.* verò de qvocunq; irreptore & ut ipse fundus duplicetur, agatur, Bald. & Cyn. *ad d. l. 4.* Hodiè utriusq; *l. 4. & 7.* in desvetudinem abiisse, atq; in ejus locum mulctam arbitrariam fisco applicandam succesisse, refert ex Mornatio Perez. *n. 5. C. fin. reg.* ast illud ita de Gallia & Hispania forsan potest dici, neutiqvam verò de Germania, in qva nunqvam talis desvetudo per contradictorium judicium roborata invenietur.

Tb. 18. Tertium remedium recuperandorum finium est condictio ex *l. 3. ff. d. term. mot.* sc. Actio legis Agrariæ pœnalis à Cajo Julio Cæsare introducta, competens cuivis ex populo adversus illos, qvi dolo malo terminos extra suos fines moverunt, ut pro singulis terminis motis s. ejectis 50. aureos in publicũ darent, vel si servi, pœna capitali ex l. Agraria Nervæ damnandi erant, nisi Dominus pœnam exsolvisset. Puniuntur qvoqve eadem lege pro modo & qvalitate personæ, qvi finalium qvæstionum observandarum causa faciem locorum convertunt: ut si faciunt ex arbore arbustum, ex Sylva cædua novale. At Panormitanus in *c. ex literis 13. X. d. prob.* scriptis consignavit, pecuniarias pœnas in hoc crimine exoleviisse, & corporales pto ratione personarum infligi, si dolosè termini transferantur. Melius tamen Dynus *in d. cap.* arbitrio relinqvi censuit judicis, qvas velit nummarias vel corporales imponere, adhibitis circumstantiis facti & personarum. *gl. 2. C. fraternitatis 34. Dist.* qvia in hac qvæstione de termino moto plu-

res

res possunt accedere peristases, qvæ negotii naturam variant; Siqvidem, si consensu contendentium termini moti sunt, id impune fit, & licet. Possunt & evelli furti causa, & tunc ad actionem furti perveniendum, in casu etiam arborum cæsarum actio etiam L. Aqviliæ & actio L. 12. Tab. ob arbores furtim cæsas habet locum *l. 1. ff. arb. furt. cæs.* Possunt & per vim dejici, & tunc de vi extra ordinem agitur ex Julii Pauli Sententia *lib. 1. recept. Sent. tit. 16.* Possunt & turbari fines & confundi multis modis aliis, qvam per motionem & translationem: veluti aratione, fluminis irruptione, vel alia superveniente confusione. In qvibus, si dolo malo qvis aratione confuderit, & judicio fin. reg. & d. term. mot. coram eodem judice interpellari potest. *l. 4. §. 4. ff. fin. reg.* in aliis irruptione fluminis, vel antiqvitate submotis, agitur tantum fin. reg. judicio. *l. 8. ff. eod.* Sed qværitur, Annon sublata sit actio legis Agrariæ per Actionem de termino moto seu *l. 1. & 2. ff. d. term. mot.* Ita putat Wes. *in tit. de term. mot.* & Menoch. *d. arb. jud. 9. lib. 2. c. 393. n. 9.* Verum satis absurdè, dum non credibile Imperatorem in uno tit. per priores leges posteriores abrogasse, maximè dum diversa sibi mutuo non derogantia in se contineant, nec unqvam Actiones præsertim pœnales de eadem re concurrentes alia aliam consumit. *§. fin. Inst. Si qvadrup. paup.*

Th. 19. Qvartum remedium recuperandorum finium est Acausatio criminalis; crimen enim de term. moto defert accusationem cuilibet volenti, ut publicum videatur, habita ratione ejus, qvod cuilibet de populo conveniat & concedatur. *l. 1. ff. d. pop. Act.* Videri etiam posset species Criminis falsi ex Ord.

Caroli *art.* 114. *rubr.* ibi. Straff derjenigen / die fälschlich ꝛc. & ideò etiam post aliorum falsi criminum genera ponitur. Rectius tamen Tholosanus in Syntag. I. *lib. 39. c. 13. n. 18.* hoc crimen tunc tantum publicum esse censet, si agatur de motis terminis publicis, puta Jurisdictionis seu territorii. Sic enim causa publica delictum non publicum facit publicum, ut de concussione non publica responsum est, qvæ publica fit ob causam, qvæ legis publici criminis est. *l. 2. ff. d. concuss.* Jurisdictionis autem & territorii causa publica est. *l. 78. ff. d. jud.* Territoriumq; & Jdictio certis finibus agrorum concluditur, qvos egredi non licet. *l. 239. §. 8 ff. d. verb. signif.* & qvibus confusis totius politiæ ordo confunditur. *c. pervenit. 11. qv. 1.* Alias crimen termini moti inter extraordinaria, non publica refertur. Cum autem finium extensio jure divino non tantum prohibita, Deut. *19. v. 14.* Sed etiam maledicto gravata Deut. *27. v. 17.* Prov. *22. v. 28.* & *c. 23. v. 20.* merito notandum, qvod in hanc accusationem extraordinariam veniat pœna, qvæ non est mulcta pecuniaria, sed coërcitio. *l. 1. ff. h.* variat etiam pro conditione admittentium; Splendidiores qvidem, si juvenes sint, in tempus longius relegantur, Senes in reciſius *l. 2. h.* tenuiores graviusne an lenius puniendi sint, ex *d. l. 2.* non constat. Qvi ministerio hac in re functi sunt, castigantur, & ad opus publicum biennio dantur. *d. l. 2.* Qvi furari voluit lapides, si fortuitò, vel per ignorantiam terminales furatus est, verberibus deciditur *d. l. 2. f. h.* de qvo plura Farin. *q. 168. n. 94.* Menoch. *lib. 2. A. L. Q. Cas. 398. n. 15.* In foroSaxonico, qvi dolo amovent terminos, arbitrarie plectuntur teste Carpz *p. 4. C. 37. Def. 1.* & *in tr. Crim. p. 2. q. 83. n. 71.* Biccius *in Nucl. C. J. J. A.* & Echoldus *ad tit. d. term mot.* volunt, illum, qvi publicos aut privatos terminos amoverit, capitali supplicio debere plecti, prout svadet atrocitas & delictorum circumstantiæ; Rectius tamen putat Matth. Steph. *ad d. art. 114.* qvod ad illud capitale supplicium non procedatur, nisi fortè ob motos terminos publicos. nam ibi Verba Peinl. am Leibe innuunt qvidem pœnam corporis afflictivam, non tamen sustinentem amissionem animæ. conf. Ord. Crim. *art. 113. 114.* Diss. Hunn. *ad Tr. v. 1. D. 19 θ. 7.* qvamvis alias pœnæ arbitrariæ ad mortem usq; possint extendi. arg. *l. 9. ff. d. extraord. crim.*

CAP. VI.

CAPUT VI.

De

Finium retentione & Defensione.

Thes. 1.

AD retentionem finium solus animus sufficit: arg. *l. 3. §. 7. l. 30. §. pen ff. d. acqu. & amitt. poss. §. 5. Inst. d. Interd.* qvia qvod semel acqvisitum est, non semper facto opus habet. Hahn. *in obs. vves. d. acqvir. poss. n. 6.* nam longe facilior est retentio qvam acqvisitio. Eckholt. *d. tit. n. 11.*

Th. 2. Qvod defensionem finium attinet, illi vel in judicio prædictis qvatuor judicialibus remediis, vel extra judiciũ defenduntur.

Th. 3. Extra judicium fines regnorum, Provinciarum ac territoriorum arcibus & militibus solent defendi, Arcesq; illæ appellantur Germ. Grentz-Häuser oder Ohrt-Flecken. *R. F. d. Anno 1559.* In finibus cumprimis fortalitia reqviri ratio dictat, ut hostis ab ingressu regionis arceatur, ipsi verò in hostile solum felicius involare possimus: Qvo respectu Cardinalis Richelius dicere solitus fuit, se Regi suo tres claves procurasse, Pinarolum versus Italiam, Perpinianum versus Hispaniam & Brisacum ad Germaniam. Totidemq; claves regnorum suorum olim Carolus V. Philippo filio suo commendavit, Golettam in Africa pro mari mediterraneo, Cadix pro ingressu ejusdem & dominio maris occidentalis, & Vlissingam in Selandia pro Oceano Germanico aliisq; maris septentrionalis partibns Beckm. *in Medit. Polit. diss. 11. §. 10.*

Th. 4. Tempore belli cum aliis exorti, gerendiq; in limitaneo agro vicinorum, qvi hostes non sunt, jure licet arces, Castella, aliaq; militiæ opera extruere, aut positas in eo urbes, pro securitate occupare. Nam qvod alteri & vicino prodest, nec nobis nocet, naturæ & Gentium jure alteri non debet aut potest denegari; qvinimò hoc jure qvisqvis in alieno dominio ut suum meritò prætendit ac petit, qvod & defensio est illius loci, per qvem noxam sibi inferri posse intelligit, nisi ab ipsis Dominis probè, & qvantũ pro vicinorum securitate necesse est, defendatur. Defensio enim talis ad vicinum spectat, ubi vicinus alter illi impar est. Probant hæc etiam æqvissimarum Gentium exempla, præsertim Romanæ, qvæ Cretensium Insulam non alio titulo olim invasit, qvam qvod situ oppor-

opportunam ac ideò commodiſſimam hoſtibus ſuis futuram prævideret. Imo & Britanniam primitus non alio nomine aggreſſa eſt, qvam qvod Gallos hoſtes plurima militiæ ſubſidia ex Britannorum ditione referre ſpectaret. Sic & fœderati Belgæ in bello ſuo contra Hiſpanos multas Cliviæ, Imperii, & Electoris Colonienſis Civitates occupatione invaſere; ne hoſtis ex illis occupatis ipſis damnū inferret, qvicqvid igitur in vicinorum territorio hoſtes poſſunt qvo noxa qveat nobis inferri, idem & nobis licitum eſt. Reſp. enim, ſi foris lædi poſſit, non domi tantum, ſed foris etiam debet juvari vid. Boxhornii Caſum *Polit. 30.*

Th. 5. Etſi autem nonnulla regna & Provinciæ ſic tantum limitaneis fortalitiis gaudeant, inq; iis fidem aliqvam ſecuritatis reponant, prudentius tamen ac longè ſecurius agnnt, qvi & intra regni & Provinciæ limites tot habent fortalitia, qvot recipiendis ſubditis eorumq; bonis defendendis tempore belli ſufficiunt; ne fortuitæ hoſtis irruptioni præda ſint, vel principatus & regnum facile in poteſtatem hoſtis veniat. Nam experientia teſte firmiſſima eſt ſententia, qvod omne fortalitium ſit certiſſimum totius regni vel provinciæ præſidium, ac ſingula fortalitia benè inſtructa ad ſui occupationem reqvirant peculiarem exercitum. Qvot ergò ſunt fortalitia, tot ſunt regni & provinciæ fulcra. Nec obſtat, qvod ad ſui ſuſtentationem magnos reqvirant ſumptus & multos milites. Nam illud onus facilè fertur, ſi totum regnum vel provincia in certos diſtrictus dividatur, & cuiq; fortalitio certi ex illis tum ad ſuſtentandum, tum defendendum adjudicentur. arg. *tot. tit. C. de fundis limitrophis.* conſer omninò Boteri Polit. illuſtrem *lib. 3. c. 4. & l. 7. c. 1.* ubi inſignia politica.

Th. 6. Sic & extra judicium fines territoriorum per Officiales & qvæſtores; Municipiorum aut pagorum per circuitiones annuas ſive ſtatis temporibus faciendas. Oeting. *d. jur. limit. lib. 1. c. 20. n. 8. 9. 10.* Privatorum per ſaltuarios cuſtodiuntur & obſervantur. *l. 16. §. 1. ff. d. uſu & Habitat.*

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

§(o)§

ULB Halle
004 529 26X
3

5 B

VDN

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-540841-p0040-8

LEGALIS,

NIUM,

NTE GRATIA,
agnifici & Amplisſimi
alma Academia
denſi,
MINE,
i ac Conſultiſſimi
NI
ERDESII,
leberrimi, Conſiſtorii
imi, Facultatis Juridicæ
ptoris ac Hoſpitis
noris cultu
di,
M DC LXXXIII.
ſuræ ſubmittit
on Rotermundt/
g.

IÆ,
IINIS STARCKII,
ographi.